



## Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

5. Dies Aprilis. Attende quæ vides; crede quæ non vides. August. I. 50.  
hom. 32. c. 4.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

## 5. DIES APRILIS.

Attende quæ vides ; crede quæ non vides. *August. l. 50. hom. 32. c. 4.*

Inconfi-  
deratio. I.

**S** Equitur alterum, quod prudentiæ repugnat vitium, Inconsideratio, sive nulla rerum ad salutem spectantium Attentio. Hinc tanta illa in plerisque hominibus intellectus cæcitas, & voluntatis perversitas: quia nec attendunt, quæ vident: nec credunt, quæ non vident. Pleriq, non ignorant, quid factu sit opus: sed præ affectus depravatione, intellectus cæcutit, id est, actu non exeritur lumen rationis: quod præsertim in rebus nostris solet contingere, ob ardentio rem affectum, à quo spissior, & tetrior fumus subvehitur, unde iudicii obcæcatio. Ut igitur toto animi nisu ad aeterna contendas, hæc pauca attende. In hac vita, positus es veluti in via ad patriam, in cursu ad metam, in palæstra ad præmium, in navi ad portum, in mundo ad experimentum, in carne ad tentationem. Iterum hæc attende, & expende. Primum elementum salutis est, rectè sentire: alterum, sincerè velle: tertium, perfectè exequi. Attende ergo cur vivas, & qua ratione velis vivere, non ut libet, sed ut licet, & expedit. Age, ut vita tua sit non mendacium sine honore, sed artificium sine errore: cuius magistra, sit veritas, disciplina sanctitas, fructus felicitas.

II. Rectè senties, fide docente, Ratione discente, sapientia æstimante, Prudentia consulente, scientia dirigente. Ut scias, multa leges, plura audies, plurima confi-



Aprilis.

Tessera.

257

considerabis. Paucis deest sciendi curiositas, plurimis intelligendi studiositas. Mirum orbe tam erudito, tam multos esse inscientes, & inertes. Nulla non die, nulla non in Typographi officina sudant præla, fervent operæ: sciendi nulla satietas, scribendi nullus finis, & tamen agendi non tantum parva, sed nulla est cura. Multa leguntur, sed lecta non feliguntur, vel selecta non attenduntur. Legere quæ scripta sunt, legentis ferè beneficium est: scribentis præmium est. Verùm cur tot inter scriptores tam rari auctores, tot inter lectores, tam pauci imitatores? Quia quæ legunt, delibant oculis, non expendunt animis. Non consideramus consideranda. Alia omnia cogitamus præter cogitanda. Cautè fecit Natura, quod cerebro frontem obduxerit: nemo hominum est, quem non vehementer puderet cogitationum suarum, si in conspectum venirent: & singulæ velut in theatro personam suam sustinerent. Nemo profectò sit: licet sapientia Plato, & gravitate Cato, qui auderet cogitationes suas aperire, tam sunt futiles, inanes, insipientes.

III. Quid non molitur phantasia? quid non designat? Nulla communior phantasiæ vanitas, quam quod quisque velit esse faber fortunæ suæ. Quot machinæ? si manus ad exequendum tam essent promptæ, quam promptus est animus ad excogitandum, tot ferè haberemus Cæsares, quot sunt homines. Stulta est phantasia eorum maximè, qui sibi sapientes videntur. Nunc arces, nunc muscas inspiens capit: modò in Chimæras, mox vertitur in hircocervos, ridiculâ cerebri momentis singulis penè per phantasmata Metamorphosi. Cogitationes,

R

cui



cui rei sese afflixerint, ejus protinus formam assumunt, & cultum. Expende nunc quibus obvoluta sit tenebris, quotque laboribus exposita rerum, præsertim Dei naturalis investigatio. Quanta Gentiles contentione laborârunt, ut rationem assequerentur in maligna luce discurrentem. Quàm rari eò sunt solo naturæ lumine progressi, ut scientiæ de Auctore naturæ particulam aliquam attingerent. Plurima sunt sensuum ludibria, vana est multorum experientia, usu ipso nonnulla creantur præjudicia, multa circumstant, quæ fucum faciunt. Nos interim Appetitus nostros audimus ut Oracula: cùm tamen nihil nobis suggerant nisi mendacia. Qui audit adulatores, quorum unum est studium placere hominibus, plurimè falsa opus est credere: sic qui passim audit blandientem sibi suum amorem, passim decipietur. Radix unde pullulat, omnis hæc in rebus gravissimis deceptio, est mentis inconsideratio. Nemo prope est inter omnes, qui quid egerit, respicit, quid agat, aspicit, quid acturus sit, prospicit. Igitur audi malè consulte egregium tibi consultorem.

*Rem præcedentem videas, & terne sequentem.*

## 6. DIES APRILIS.

Levis est malitia; sæpè mutatur non in melius, sed in aliud. *Seneca epist. 47.*

Inconstantia. 1.

**I**nconstantia, quæ est tertius ejusdem ordinis defectus, dedit cassationem à recto judicio semel suscepto, quod continuatum oportuerat,